



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Meyeri S. Literarum Doct. & Prof. Uxor  
Christiana Sive De Conjugio Inter Duos Deque Incestu Et  
Divortiis, Dissertationes Tres**

**Meier, Johannes**

**Amstelædami, 1688**

Lectori Benevolo S.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40272**

**D**Esine mirari, Lector, quod argumentum tractandum susceperim utilissimum quidem, totique generi humano necessarium, sed cujusque gustui forte non accommodatum, & quod ab aliis feliciter elaborari potuisset, quam a me, omnibus illis adminiculis, quæ ad tantum opus requiruntur, non instructo. Ad omnium enim gustum scribere admodum difficile, cum non idem omnium sit ingenium & institutum, nec idem ab omnibus appetatur cibus. Accedit, quod gravibus causis indutus tibi forte incognitis hanc materiam selegerim, quarum aliquas in Dissertationum initio aperui, reliquas hic in limine aperire constitui. De genuino sensu nonnullorum versuum octavi decimi capituli Levitici Hammonæ consultus, Thesibus publicis dubia quædam examinavi, quibus visis plures me hortati sunt, ut istam telam pertexerem, quos inter præcipuus, Vir Illustris & Amplissimus D. JOHANNES DE BEYER, Serenis. Elect. Brand. in Ducatu Clivie & Com. Mark. Consiliarius intimus, Vice-Cancellarius & maximarum rerum administrator longe meritissimus, cujus animi magnitudinem, eruditionem, judicium & prudentiam admirantur, quotquot ipsum norunt. Protinus igitur, licet huic argumento vires impares satis agnoscerem, horas succisivas in eo elaborando impensurum me, fidem obstrinxi; sed febris, qua mihi per annum & ultra erat conflictandum, & curæ publicæ ac privatæ, quibus distrahebar, huic conatui sufflaminem injiciebant. Pristinæ valetudini restitutus, calamo manum admoturus circumspicere cæpi scriptores, qui de hoc argumento aliquid publici juris fecerant: ubi tamen animadverti, mihi non tam necesse esse præfari, quod fere omnes, qui aliquid edunt, facere consueverunt, Iliada me post Homerum scribere videri. Ecquis enim Theologorum hætenus ex professo ad ista illustria Capita



P R Æ F A T I O

XVIII. & XX. *Levitici commentatus est, & leges ordine a Deo propositas explicuit? plerique inherere solent quaestio- nibus vulgaribus & controversis, quæ hic nobis intercedunt cum Pontificiis. Unicus Venerandus Beza de Polygamia, Repudiis & Divortiis doctè scripsit, sed juxta ingenium eorum hominum, qui tunc studia colebant, quemadmodum Doctiss. Gerhardus inter Augustanos prolixè de Conjugio egit, ut tamen multum aliorum industriae reliquerit. Quis Theologorum controversiam de polygamia simultanea satis arduam pro dignitate tractavit, omnesque dubias quaestiones a recentioribus propositas excussit? neminem vidi, qui Karæo- rum, qui in hoc argumento maxime differunt a Talmudicis, nostroque scopo inserviunt, sententias & placita, præter ea, quæ habet Seldenus, e latebris eruta in lucem protruserit, quorum tamen desiderio capiuntur eruditi. Ideoque visus sum operæ pretium facturum, & rem curioso Lectori non in- gratam, si in omnibus Dissertationibus rarissimum Commen- tarium Eliæ ben Mosis Karæi, quem Seldenus Scriptorem Doctissimum & gravissimum passim appellavit, MS. tamen & mutilum duntaxat citare potuit, ex instructissima Bi- bliotheca Lugduno-Batava exhiberem, ubi inter alios extat Constantinopoli sub titulo Adderet Elijahu impressus. Et quia ardua satis & difficilis hæc materia cruciat Theologos ac Jctos, eorum Consilia & Respona, quæcunque inveniri potuerunt in diversis auctioribus, quos unusquisque habere nequit, allegavi, variosque Casus interdictis Mosaicis subnexui, in quibus ejusmodi fundamenta jacta esse puto, ut inde similes facile queant solvi. De quibus alii operosius, ego strictim egi, & quæ illi perfunctorie tractarunt, a me diligentius sunt excussa. Primæ Dissertationis prolixita- tem excusabit trium Auctorum, qui de polygamia scripse- runt, refutatio, ubi id negotii mihi dedi, ut omnia loca V. & N. T. quæ ea de re agunt, explicarem, de qua nunquam*

\*\*

scribere



PRÆFATIO.

scribere cogitasset, nisi hæc mihi occasio data, & quæstio semper intricata visa fuisset. Nec ægre ferent Polygamiaæ advocati meum institutum, cum id commodi habeant disputationes, ut dubia solvantur, & veritas magis elucescat, modo id fiat cum modestia, sine alterius injuria, & litigandi animo. In Dissertatione II. a nonnullorum Actorum sententia recessi, sicut in Tertia a Grotio, Seldeno & Lightfooto dissensum profiteor, veritatis tuendæ & S. literarum illustrandarum studio. Nomen Uxoris Christianæ huic opusculo imposui, cum qualis Christianos deceat, ex Mose, Christo & Apostolis in eo declaratum sit, quemadmodum Seldenus suum hac de re librum Ux. Ebræam inscripsit, quia de ea juxta cum Buxtorfio Ebræorum sententias proposuit, rarissime tamen, quid de iis sentiendum, & admittendum, ulli eorum addidit. Et quia illi in ritibus Hebraicis cum aliis maxime occupantur, de iis ego parum sollicitus fui, cum in foris & Consistoriis alia desiderentur. Hisce vale, Lector Benevole, conatibus fave, & hallucinationibus, si quas deprehenderit, ignosce, omnesque ad lapsus pronos esse memento, præcipue in tam difficili argumento, nec ullum tam propitia Minerva natum, ut nunquam dormitet. Ignosce etiam stylo & generi scribendi, quia aliorum exemplo de hac materia Selecta quandoque disputavi rebus magis quam verbis intentus; elegantius & perfectius opus a me forte proficisci potuisset, si otio abundassem, quo concesso, cum numerus Professorum in quavis Facultate, volente Deo, nunc iterum sit augendus, lucubrationes limatiores a me expecta.

INDEX